

prodierint, protinus abibo. interea tamen et hic saepe, dum adero,  
et alibi, quam primum certam sedem sortitus fuero, multas et item  
plenas litteras dabo. tu cura ut valeas primum, ac, si quid tale  
apparuerit, sine cunctatione <sup>(a)</sup> discedas; nullum enim aliud, ut tute  
5 ipse <sup>(b)</sup> nosti, huic malo remedium est; deinde uti sepe ad me cum  
rescribas tum etiam scribas. habuisti pridie quid iuris in negotio  
tuo sentiret dominus Franciscus de Zabarellis quidque ego, ut ita  
dixerim, somniarem. debes illi gratiam <sup>(c)</sup> quod non minori vo-  
luptate quam diligentia iudicium <sup>(d)</sup> adhibuit, ut qui tibi magnopere  
10 cupiat gratam rem reddere operamque suam, si quid aut pro te aut  
pro amicis effici ab eo possit, promptam offert.

Est in quo graviter errem <sup>(e)</sup>, ac, ne prius ab eo accuser cuius  
res omnes magnifico, volo me ipsum sponte tibi accusare <sup>(f)</sup>. ma-  
gistrum Gulielmi de Ravenna <sup>(g)</sup>, meo iudicio hominis inter paucos  
15 facile ex primis, amicitiam et cupide optavi et feliciter assecutus  
sum. qua re nichil michi carius, nichil antiquius fuit, atque, ut id  
plane intelligas, vix quicquam est quod nunc magis aut querar aut  
egre feram quod hominem hunc sero michi datum est co-  
gnoscere, sero benivolentiam eius attingere. cum enim antehac  
20 et alloquendi et salutandi et in primis <sup>(h)</sup> amicitias coeundi sepe-  
decens oblata fuisse occasio, nunquam tamen nescioqua cordis  
ignavia seu verius timiditate rem tam preclaram tamque expetendam  
ausus sum aggredi, atque ita diu muneris huius expers iacui. nunc  
vero, quando et respectu tuo et magistri Aldovrandini, communis  
25 amici, opera sum in amicitiam admissus, vereor ne indignus ea  
iudicer et ut parum meritus excludar. nam cum proxime Venetiis  
essem, ubi et neminem iocundius vidi et avidius nichil quesivi,  
magnopere hoc expetenti pollicitus sum et crebro et multum me  
ei scripturum <sup>(i)</sup>; non quidem, ut opinor, quod insit ulla orationi  
30 mee dignitas que expetenda <sup>(j)</sup> veniat, sed quod dicere vellet vir  
omni virtutis numero perfectus <sup>(k)</sup>, que officia in habendis tenen-

Promette di inviargli spesso le sue notizie,

e lo esorta di fuggire a sua volta da Muggia al primo apparir dell'epidemia.

Accenna il parere dello Zabarella intorno l'affare di Buje; Giovanni dev'essergli grato di tanta premura.

Si scusa poi di non aver ancora scritto a Guglielmo da Ravenna,

il quale gli chiese a Venezia un ragionamento sopra l'amicizia.

(a) *BG* sine contactione      (b) *G* tu ipse      (c) *CRG* negotio tuo sentirem.  
Dno Francisco de Zabarellis q ego ut ita dixerim summam (*C sumā*) debes agere gratiam  
*Il Sabbadini* propone somniarem; summam debes ita dixerim summam      (d) *RG* iudi-  
cium suum      (e) *In C om.* graviter errem ma lasciato lo spazio.      (f) *R* sponte accusare  
(g) *RG* in primis      (h) *G* me et scripturum      (i) *C* expectanda      (k) *R* prefectus

(1) Cf. l'epist. LVIII, p. 129, nota.